



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Ordo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

non est dicenda absolute probabilis, sed tenuiter probabilis.

485. Quæritur. An saltem in casu necessitatis urgentis possimus sequi opinionem tenuiter probabilem?

Resp. Nullatenus est admittendus usus opinionis tenuiter probabilis in sensu composito, quod retineat tenuem probabilitatem, eo quod tunc nitatur fundamento non gravi; Verum quidem est, quod in casu necessitatis possit Infans Baptizari in digito, sicut potest Baptizari cum aqua rosacea, deficiente aqua pluviali, quia necessitas facit, quod possit sub conditione Baptismus conferri, quod non solum est certo probabile; sed peccaret qui nollet hoc pacto puerum baptizare, unde non habetur in hoc casu tenuis probabilitas, quia ipsa necessitas reddit absolute probabile, quod seclusa ea circumstantia parum haberet probabilitatis, & ita cogita de similibus.

### O R D O.

486. Quæritur. An sit damnata sententia docens, in Ordine Sacro non requiri tactum physicum materiæ remotæ Sacramenti, sed sufficere tactum moralem?

Resp. Esse subjectam damnationi proposit. i. iter proscriptas ab Innoc. XI. Ratio est, quia est opinio minus tuta circa valorem Sacramenti, nam si coram Deo vera est sententia affirmans requiri contactum physicum, Sacramentum frustratur si solum adhibeatur moralis; si autem adhibeatur physicus, nihil fit contra valorem Sacramenti.

487. Quæritur. An damnationi subiaceat opinio docens, esse licitum ordinari Diaconum, vel cum sola impositione manuum, vel cum sola traditione Libri Evangeliorum?

Resp. Subjacere, ratio est, quia tutius est pro valore Sacramenti utrumque præstare, nam si alterum deficiat fortasse Sacramentum erit nullum.

488. Quæritur. An circa materiam Ordinationis Subdiaconi sit aliqua opinio damnationi subjecta?

Resp. Negativè. Ratio est, quia licet aliqui dixerint, materiam Subdiaconatus esse traditionem libri Epistolarum, hæc tamen opinio ab omnibus rejicitur; quare omnino tenenda est tanquam tutissima sententia docens, materiam Subdiaconatus esse traditionem Calicis vacui cum Patena vacua.

### O S C U L U M.

489. Quæritur. An sit probabilis opinio asserens, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis?

Resp. Eam opinionem esse falsam, & expressè damnatam ab Alexand. VII. cum propof. 40. & ante illius damnationem Clemens VIII. & Paulus V. jussierant Inquisitoribus fidei denunciari asserentes, in osculis ob meram delectationem veneream habitis non contineri culpam mortalem; ratio est, quia delectatio, seu complacentia deliberata de objecto mortali, puta de homicidio, de furto, & similibus, se per est mortalis, atqui

oscu-